



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla**

**Pareus, Daniel**

**Francofurti, 1633**

Papæ Romani, A Syluestro Primo, ad Bonifacium Tertium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)



Mauritius Cappadox, gener Tiberii, successit Socero. Anno Christi 584. sub quo Turcarum nomen primum fuit auditum; & Ecclesiae in Italia, Gallia, & alibi, à persecutoribus misere conquassatae sunt. Interfectus est per insidias cum vxore & liberis in conspectu Phocæ tyranni. Anno Domini 604.

P A P Æ R O M A N I, A S Y L-  
uestro Primo, ad Bonifacium.  
Tertium.

**S**ylvester I. natione Romanus, Miltiade mortuo, populi suffragiis inuitus ac repugnans, Episcopus Romanus designatus est, anno Christi 316. Factus Episcopus, docendi munere fideliter functus est, & vitiosa in ordine Ecclesiastico multa emendauit. Decessit absque martyrio. Tribuuntur illi multæ & superstiosæ constitutiones, quæ ex libro Conciliorum, Platina, & aliis, minori negotio peti, quam huc describi possunt.

Marcus Episcopatu Romano defunctus est, A. 2. M. 8. D. 20. si Platinæ credimus.

Post Marcum Episcopus constitutus est Iulius I. sub quo Synodus Nicæna fuit frequentata. Acerrimus fuit defensor Athanasii, & Nicænorum dogmatum. Mortuus est in extrema senectate, anno Domini 351. iuxta Balæum.

Iulii successor Liberius Primus, Nicænae fidei professor fuit constantissimus, & propugnator acerrimus. Balæus tamen, & alii tradunt, eum



ex ambitione in hæresin Arianam lapsus, à fidei integritate recessisse.

Liberio in exilium à Constantio expulso, in locum eius ab Arianis surrogatus est Felix II. & communione eorum maculatus; vir alioqui Catholicus, & qui incorruptam seruaret Nicææ expositam fidem, nisi quod in suspicionem venit, propterea quod eligi se ab hæreticis, & coniungi cum illis passus est.

Damasum Hispanum fuisse, plerique proderunt. Scripsit vitas Romanorum Pontificum: hæreticos etiam scriptis & voce condemnauit: de adulterio accusatus, se purgavit. Contra eum in schismate turbulento electus est Ursinus quidam.

cc Siricius, primus coniugio ministris Ecclesie in Occidente interdixit. Certamina cum hæreticis aliquot habuit. Manichæos Romæ deprehensos communione priuauit, & exilio damnauit. Familiaris fuit Ambrosio Mediolanensi Episcopo. Mortuus est circa annum Domini 400.

Siricio Papæ successit Anastasius, sub Arcadio & Honorio Imp. de cuius gubernatione, vt & aliorum plurimorum, præter constitutiones, pauca reperias.

cc Successor Anastasii fuit Innocentius I. qui primus decreuit, vi cogendos esse hæreticos, ad amplectendam fidem Catholicam. Excommunicauit Arcadium Imperatorem, quod Eudoxiæ causa Iohannem Chrysostomum sede sua mouisset. Pro primatu Romanæ Ecclesie strenue laborauit.

Zosi-



Zosimus, natione Græcus, ad Episcopatum ascendit, sub annum Christi 418. Idem sedulo in Synodo VI. Carthaginensi in id incubuit, ut Romanæ Ecclesiæ primatus firmaretur: idque tentavit falsatione Canonum Nicenorum. Sed eius, & successorum dolus ac depravatio à patribus est animadversa, detecta, & refutata; ut patet ex actis Synodi VI, Carthaginensis. Contra Pelagium, ipsiusque hæresim passim grassantem, strenue pugnavit. Cum Augustino familiaritatem habuit. Habuit & Hefychium, Salonitanum Episcopum amicum. Ecclesiam superstitionis ceremoniis & decretis oneravit: quam rexit annum. I. menses 8. dies 25.

Bonifacius Primus Romanus, ad gubernationem Ecclesiæ Romanæ ascitus fuit, Anno Christi 420. Certamen, quod Zosimus, canonum Nicenorum falsator, de iurisdictione Romanæ Ecclesiæ in Africanas susceperat, cum VI. Carthaginensi Synodo, continuavit, & multo acrius ac impudentius missis legatis pro primatu bellavit. Sed non potuit id, quod volebat, obtinere. Contra eum in schismate creatus fuerat E. V L A. L I V S, à Synodo depositus.

Celestinus Primus Italus, Bonifacio substitutus est, Anno Christi 424. Certamina contra hæreticos suscepit. Græciam Christi contra Pelagium, & alios liberi arbitrii assertores defendit. Et quoniam eius temporibus Constan-

I 5 tino-



tinopolitanus Episcopus Nestorius, & ipse no-  
 uum quoddam, & in Christum blasphemum  
 dogma in Ecclesia disseminare cœperat; dedit  
 ipse Cœlestinus sedulo operam, vt in prima sta-  
 tim herba, & priusquam altius radices agerent,  
 ista blasphemorum zizania euellerentur: ipse-  
 que disseminator si non reduceretur, at saltem  
 reprimeretur. Hoc suum studium in reprimen-  
 da hæresi Nestoriana communicauit etiam cum  
 Cyrillo Alexandrino Episcopo, Iohanne Antio-  
 cheno, Iuuenali Hierosolymorum & aliis. Pro  
 primatu Romanæ Ecclesiæ impudentius, quam  
 antecessores, pugnavit cum V. I. Carthaginensi  
 Synodo.

Sixtus, siue Xystus III. post Celestinum ad  
 Ecclesiæ Romanæ regimen accessit, anno Chri-  
 sti 433. Certamina etiam aliqua subiit, non tam  
 pro reprimendo Nestorio, aliisque hæreticis; &  
 puritate doctrinæ conseruanda; quam pro infam-  
 iæ nota à propria persona repellenda, & digni-  
 tatis autoritate retinenda, maxime vero pro  
 Ecclesiæ suæ primatu proferendo.

Leo I. cognomento Magnus, natione Thuf-  
 cus, Episcopus Romanus electus est, anno  
 Christi 440. De tota eius gubernatione testari  
 possunt epistolæ ipsius ad Imperatores, ad con-  
 cilia, ad Ecclesias diuersarum prouinciarum, &  
 Ecclesiasticas personas. Commendatur  
 omnium maxime Epistola eius ad Flavianum  
 Constantinopolitanum Episcopum missa: qua  
 hæreticum ac blasphemum Eurychis dogma  
 impu-



impugnat. Theodosio Imperatore defuncto, instabat apud Marcianum, eumque ad cogendum Chalcedonense Concilium excitulabat. In scriptis eius elucet summa vis ingenii, & mira in repellendis hæreticorum ictibus dexteritas. De primatu Romanæ Ecclesiæ certare exemplo maiorum suorum non intermisit. Sed astutius rem egit. Missos enim fecit Africanos, & tentauit aliis interea persuadere, Romanam Ecclesiam esse omnium summam, atque eo modo paulatim alias sibi subiicere: vt testantur multæ eius epistolæ. Artilæ, sæuissimo Hunnorum Regi, Italiæ & aliarum prouinciarum vastatori, iam etiam ad Urbem Romam euertendam accedenti, occurrit cum altero consulum, & parte senatus non modica; eique persuasit, præter omnium opinionem, vrbi vt parceret. Idem etiam postea Vandalorum tyrannum Gensericum, hominem ferocissimum in Orthodoxos & Catholicos, ad urbem vocatum ab Eudoxia in ultionem sui perempti coniugis Valentiniani, ita demulsit, vt spoliis & direptionibus contentus, à cædibus & incendiis abstineret: vt Platina author est.

Leoni ad meliorem vitam translato subrogatus est HILARIUS Primus, Sardis oriundus, Anno CHRISTI 461. Hic Eutychem, Nestorium, & Dioscurum hæreseos damnauit: sed principatus Ecclesiæ Romanæ fuit studiosus.

Hilario successit SIMPLICIUS, Tiburtinus, Anno Christi 467. qui Ecclesiarum omnium primam



α nam Romanam declaravit. Petrum Alexandri-  
 α num Episcopum hæreseos Eutycheris sectato-  
 α rem damnavit: idque ad criminationem Acacii  
Constantinopolitani Episcopi.

Felix Tertius Romanus, ad Episcopatum e-  
 lectus est, Anno CHRISTI 483. Certamen  
 α pro Ecclesiæ Romanæ primatu more suorum  
 α antecessorum acceperat, contra Acacium  
 α Constantinopolitanum Episcopum, eumque  
 α ideo excommunicavit, quod sine Romani  
 α Episcopi autoritate Iohannem Alexandri-  
 α num ab officio removerat, Imperatoris iussu.  
 Sed Acacius nihil curabat eius iram, ac vi-  
 cissim nomen Felicis ex sacro albo expunge-  
 bat.

Felici successit Gelasius I. natione Afer, anno  
 post Christum natum 494. Contra Eutychem,  
 Nestorium, & Arium, libros conscripsit. Pro pri-  
 α matu Ecclesiæ Romanæ omnibus viribus de-  
 α cernavit. Anastasium Imperatorem excomuni-  
 α cavit, quod hæreticis & Acacio faueret. Hoc suo  
 α neruo usus etiam est aduersus Vandalos, Ariana  
 hæresi infectos, qui Catholicos cruciatibus &  
 suppliciis afficiebant.

α Anastasius II. hæresin Nestorianam & Eu-  
 α tychianam amplexus est. In morte dum ven-  
 α trem exoneraret, intestina in latrinam emisit.  
 α more Arii. Vixit temporibus Theodorici, Regis  
 Italiæ.

Anastasio mortuo, non sine magna cleri dis-  
 eordia Pontifex creatus est SYMMACHVS, na-  
 tione Sardinus, qui compesitorem habuit Lau-  
 re-



rentium. Vnde omnium consensu concilium Rauennæ indictum est; discussaque re, Theodoricus, qui tum Romam obtinebat, etiamsi Arianus esset, Symmachum tamen Episcopum confirmauit. Scripsit hic Symmachus ad Anastasium Imperatorem, qui hæresin Eutychnam fouebat, admonitoriam epistolam, quam eum grauitè obiurgauit, propterea quod hæreticis communicaret. Manichæos stabilita dignitate Vrbe expulit, libris eorum publice crematis.

Symmacho successit Hormisda, Anno Domini 515. Anastasio Constantinopoli imperante, & Theodorico in Italia. Ad primatum acquirendum, alium gradum posuit. Cum enim hæctenus Romani pastores beneficio Synodi Nicænæ Archiepiscopi essent; Hormisda effecit, vt ab Imperatore Iustino superiori quadam dignitate donarentur, nimirum Patriarcharum: vt refert Isidorus. Hortante Theodorico, prouincialem Synodum in vrbe habuit, omniumque consensu Eutychnos, iam antea refutatos, damnauit. Manichæos etiam Romæ repullulantes expulit. Filium habuit Silverium nomine, qui postea Episcopus Romanus factus est.

Iohannes I. natione Thuscus, ex presbytero Pontifex Romanus factus est, Anno Domini natiuitatis 523. Cum autem Iustinus Imperator, amore religionis Christianæ, hæreticorum, & præsertim Arianorum Ecclesias destruere decreuisset; Theodoricus Rex hæresi



Ariana pollutus, misit hunc Iohannem Constantinopolim ad Imperatorem Iustinum, pro hæreticorum Ecclesiis conseruandis, minitans, se quoque Orthodoxorum Ecclesias subuersurum, nisi Iustinus Arianorum templa intacta relinqueret. Iohannes itaque Constantinopolim profectus, maximo honore susceptus est, & omnia, pro quibus venerat, impetrauit. Cum vero Constantinopoli in Italiam applicuisset, criminatus, quod consilia Imperatori Iustino contra Regem Theodoricum dedisset, in custodia detentus est, atque Rauennam missus, in qua fame, siti, carcerisque fæto diu cruciatus, tandem obdormiuit, Anno Domini 527.

11 Constituisse dicitur, vt Imperator subesset Romano Pontifici.

21 Felix IV. natione Samius, patria Beneuentanus, Patriarcham Constantinopolitanum, Athanasium nomine, propter hæresin excommunicauit. Mortuus est anno Domini 530.

Bonifacius II. patria Romanus, electus est in schismate cum Dioscoro presbytero, Iustiniano imperante. Nam & Dioscorus, diuiso bifariam clero, in Felicis locum surrogatus est: sed eius mors certamen diremit. Quapropter solus Episcopatum Romanum adeptus Bonifacius, statim Clerum, qui Dioscorum elegerat, sibi reconciliauit. Vigiliam diaconum post se Papam eligi decreuit, quod tamen postea rescindens combussit. Obiit Anno Domini 532.

Iohannes II. patria Romanus, cognomento Mercurius, propter vim eloquentiæ, dictus,

An.



Anthemium Constantinopolitanum Patriarcham hærescos Arianæ damnauit. Rebus humanis exemptus est, Anno Domini 534. sub Imperatore Iustiniano.

Agapetus I. natione Italus, patria Romanus, à Theodato Gothorum Rege orator missus est Constantinopolim ad Iustinianum Imperatorem, à quo tentabatur, vt Eutychnam hæresin approbaret. Quum vero Iustinianus cerne-  
ret, Agapetum ab hæresi ista abhorreret, precibus minas addidit. Tum Agapetus; Ego (inquit) ad Iustinianum Imperatorem Christianissimū venire optaui: sed Diocletianum, vt video, inueni. Hac libertate loquendi permotus Iustinianus Imp. hæresin amplecti desuit. Non multo post Agapetus subito morbo correptus Constantinopoli ex hac vita excessit, anno Domini 535. Cadauer eius arculæ plumbeæ impositum, Romanam delatum est.

Siluerius, Hormisdæ Romani Episcopi filius, cum Anthemium Episcopum Constantinopolitanum, hæreticis fauentem, ab Agapeto prædecessore suo depositum, restituere noller, mandante Theodora Augusta, Iustiniani coniuge, à Belisario Episcopatu Romano priuatus, & in exilium pulsus est: mortuus exul & cucullatus in insula Ponto, Anno Domini 537. non sine opinione martyrii.

Vigilius, patria Romanus, Episcopus Romanus in schismate factus est, astu & opera Theodoræ Augustæ. Romanam Ecclesiam a-liarum matrem haberi voluit. Propter Anthemi



mii hæresin, quam reprobauit, Constantino-  
poli in carcerem coniectus, & tandem in exili-  
um pulsus fuit, mortuus ex calculo Syracusis in  
Sicilia, Anno Domini 554.

er Pelagius I. patria Romanus, primatum Ec-  
clesiæ Romanæ non à Synodis, aut ab homini-  
bus, sed ab ipso Christo prouenisse, primus as-  
seruit. Obit Anno Domini 566. De tempore  
quo præfuit Ecclesiæ, nondum inter scriptores  
constat.

er Iohannes III. contra Antecessorem Pelagi-  
um sanxit, ne quis appellaretur summus sacer-  
dos, aut vniuersalis Episcopus. Obit Anno  
Domini 576.

Benedictus I. creatus est Episcopus Roma-  
nus, quo tempore Longobardi Italiam deua-  
stabant. Mortuus & consumptus dolore ac so-  
licitudine animi, quem in calamitatibus Urbis  
Romanæ conceperat, Anno Domini 582.

er Pelagius II. Episcopus creatus est, Impera-  
tore Tiberio Constantino Augusto. Concilia,  
er præsertim generalia, non debere celebrari con-  
tra voluntatem Episcopi Romani, mandauit.  
er Eius tempore tantæ pluuiæ fuerunt, vt diluui-  
um renouatum crederetur. Ex quibus tanta  
inundatio secuta est, vt muros Urbis transcen-  
deret, & magnam bestiarum, maxime serpen-  
tium, multitudinem secum traheret: quæ ex  
aeris corruptione putrefactæ, pestem induxe-  
runt, qua Pelagius extinctus est, Anno 590.

Post Pelagium Pontificale munus inuitus  
suscepit Gregorius Magnus, natione Roma-  
nus,



nus, qui primus omnium Pontificum se seruum  
 seruorum Dei nominauit. Titulum Vniuersa-  
 lis Episcopi omninò auersatus est, atque abo-  
 minatus, fidenter inquit; *In istud scelestum*,  
*vocabulum consentire, nihil aliud esse, quam fidem*,  
*perdere.* Et quod quisquis se vniuersalem Epi-  
 scopum vocat, Antichristum præcurrat: quia  
 superbiendo se cæteris præponit. Agnouit quo-  
 que se subditum Mauricii Imperatoris, & filio-  
 rum eius. Pro religione contra Iudæos, falsos  
 fratres, & hæreticos, multa sustinuit certami-  
 na. Quatuor Concilia, Nicenum, Constanti-  
 nopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense,  
 decreto publico confirmauit. Multas afflictio-  
 nes eum sustinuisse, facile æstimari potest ex  
 statu illo, qui tum temporis in Italia fuit, dum  
 Longobardi cædibus, & rapinis passim sæui-  
 rent, Ecclesias vastarent, & Christianos tum  
 trucidarent, tum in tristem seruitutem abdu-  
 cerent. Ipsum quoque Mauricium Imperato-  
 rem offensum habuit, vt passim in suis Episto-  
 lis ad amicos conqueritur. Scripsit libros quam-  
 plurimos, qui post mortem eius ab æmulis sunt  
 combusti: quidam vero intercessione Petri  
 Diaconi sunt seruati. Obiit Anno Christi 606.  
 sub Phoca Imperatore. Idem Gregorius Ma-  
 gnus Pontifex primus est, qui *vsu Imaginum*  
*in templis palam propugnauit: Apud Patres e-*  
*nim Orthodoxos, qui ante ipsum fuerunt, ni-*  
*hil simile reperitur.*

Neque vero mirum: fuit enim *superstitio-*  
*num, tanquam Monachus, egregius patronus,*  
 ac ce-



ac ceremoniis & ritibus plusquam Iudaicis Ecclesiam Christi mirum quantum oneravit. Post huius Gregor. Magni tempora secuta sunt maiores tenebrae, quam prius: deperit doctrinae puritas, Ecclesiaque humanis traditionibus mirum quantum obscurata fuit.

Sabinianus, natione Thuscus, Episcopus creatus est, imperante Phoca Augusto; detestatus est omnia, quae Gregorius Magnus fecit. Scripta quoque eius abolere cogitavit. Campanarum usum inuenit, & lampadum perpetuo ardentium.

PATRES, siue praecleara lumina Doctorum,  
quae in Ecclesia Christi fulserunt a tempore  
Constantini Magni usque ad  
Phocam.

Athanasius natus Alexandriae, ruba ingens & lumen Ecclesiae, oraculum orbis, Doct. certaminum, propugnaculum veritatis, & Pater rectae fidei, a Nazianzeno, Epiphanio, & Theodoro merito appellatur. Alexandro, Alexandrino Episcopo morituro designatus est successor, Anno Christi 325. Erat autem id temporis Ecclesia misere turbata & conuulsa Arianis furore, ut facile perspiceret Athanasius sibi in medium rerum omnium certamen atque discrimen deueniendum esse. Itaque repulit a se illud munus, & vix tandem Alexandri morituri autoritate commotus accepit, quasi diuino munere donatus Ecclesiae. Vitae & actionum eius